





3

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**RARISSIMIS ET GRAVISSIMIS**  
**TYMPANITIS**  
**EXTRA INTESTINA SPECIEBVS**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS

ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,  
AD D. XIX. APRIL. A. S. R. C<sup>1</sup>CCCCLV.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVRICE DEFENDET

AVCTOR

**GEORGIVS GVLIELMVS ADOLPH**  
VRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.





VIRO  
EXCELLENTISSIMO, PRAENOBILISSIMO,  
EXPERIENTISSIMO AC DOCTISSIMO,  
DOMINO  
BALTHASARI LVDOVICO  
TRALLES,

MEDICINAE DOCTORI,  
EIVSDEMQUE EXERCITIO APVD VRATISLAVIENSES  
MAXIME CELEBRI,

PATRONO AC FAVTORI  
OMNI PIETATIS CVLTV AD CINERES  
VSQVE DEVENERANDO,

QVALESCVNQVE  
HÄSC IN AVGVRales PRIMITIAS  
IN  
DEBITAE VENERATIONIS AC OBSERVANTIAE  
TESTIMONIVM,  
SVI AC  
STVDIORVM SVORVM COMMENDATIONEM  
CVM VOTO DEVOTISSIMO  
PERPETVÆ INCOLVMITATIS AC PROSPERITATIS  
LAETISSIMORVMQVE SEMPER SVCCESSVVM  
EA, QVA DECET,  
MENTIS PIETATE AC REVERENTIA  
SACRAS ESSE CVPIT

PATRONO AC FAVORI  
AVCTOR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
RARISSIMIS ET GRAVISSIMIS  
**TYMPANITIS**  
EXTRA INTESTINA SPECIEBVS.

PROOEMIVM.



Quamvis neminem omnino fugiat, quod observationes magnum salutari scientiae adferant lumen atque emolumentum, satisque firma sint, quibus haec inititur, fundamenta: nihilominus tamen id

A 3

de


de omnibus omnino observationibus, nullo discrimine habito, affirmare non sustineo. Quot enim non obruitur hodierno aevo medicina observationibus, quae nulla novitatis gratia se commendant, nullum novum ei accendent lumen, & parum vel nihil afferunt utilitatis, ne de imperfectionibus & vitiis dicam, quibus saepius sunt contaminatae? Raro profecto in lucem producent eiusmodi observationes, quae crassas, quibus doctrinae medicae circumfusae sunt atque occultatae, tenebras dissipant atque ex his veritatem in apricum protrahunt. Haec potissimum est causa, quod illa morborum doctrina, quae huius generis observationibus destituta est, sit Labyrinthus difficillimorum ac maxime perplexorum anfractuum, ex quo emergendi vix spes superest atque facultas, & minori gaudeat luce, quam illae morborum doctrinae, quae pluribus & exactioribus illustrantur atque confirmantur observationibus. Facillimo equidem negotio haec omnia ingenti illustrare & corroborare possem exemplorum copia, si modo angusti praefationis

tionis limites id concederent: hinc sufficiat, instar omnium *Tympanitem* tantum in medium adducere. Omnes, qui hoc de morbo aliquid in litterarum monumentis prodiderunt, uno velut animo unaque voce consentiunt & asserunt, dari *Tympanitem*, in quo aër haeret intestinis inclusus. Num vero *Tympanites* occurrat, ubi aër extra intestina in cavitate abdominis vel solus, vel una cum aqua seu lymphâ extravasata simul sit constitutus, id nondum satis cognitum est atque exploratum. Destituti in eo sumus sufficienti observationum copia, quibus certo constat, aërem in *Tympanite* haesisse extra intestina. Non pauci hinc occurrunt, qui hanc *Tympanitis* speciem vel plane negant, vel in dubium vocant, tum, quia observationibus non satis esset comperta; tum, quia non pateret, qua via & quomodo aëris in cavitatem abdominis extra intestina possèt pervenire. Alii admittunt quidem talem speciem, sed contendunt simul, eam non alio nasci posse modo, quam disruptione vel erosione intestinorum a vermis vel ulce-

ulceribus facta, qua mediante aëri, in intestinis antea inclusō, exitus ex iisdem concederetur. Specimen ergo inaugurale, pro obtinendis summis in Medicina honoribus, iam exhibitus, & de differendi argumento sollicitus, haud trita, vulgata & disquisitione non indigna me esse disputaturum existimavi, si modo adducta illa momenta accuratiori subiicerem examini, & qua ratione *rariſſima Tympanitis extra intestina species* evenire queat, uberiorius demonstrarem. Ut autem qualiacunque haec conamina in divini Numinis gloriam, aliorum emolumentum, artisque medicae incrementum cedant, ardentissimis exopto votis.



§. I.



§. I.

Flatus nihil aliud esse, quam aërem in ventriculo atque intestinis conten-  
tum, qui ea ad gradum naturali ma-  
iorem distendit, ut molestiae exin-  
de orientur, neminem fugere existimo, qui vel le-  
viter praeceptis instructus est pathologicis. Omnia  
corpora, quae sub cibi vel potus nomine in corpus  
ingeruntur humanum, statim in ventriculo atque  
intestinis a menstruis digestioni & chylificationi in-  
servientibus, ut saliva, liquore gastrico, pancreatico  
& bile, huc affluentibus, concurrente motu peristal-  
tico, resolvuntur & partes eorum a mutuo nexu suo  
separantur. Hoc dum contingit, aliter fieri nequit,  
quin aér, cibis atque potulentis inclusus & inter  
earum partes contentus, liberetur atque extricetur,  
qui, si homo prospera ac firma fruatur valetudine,  
naturali ventriculi ac intestinalium robore motu-  
que peristaltico sine ulla molestia propellitur atque

B

ex

ex corpore excernitur. Varias autem ob causas, specialius statim exponendas, accidere potest, ut aér nimium impetum in ventriculum atque intestinā exferat, haecque valde expandendo gravia incommoda producat, quo in casu *flatuum* nomine insigniri solet.

### §. II.

Quaedam alimenta prae caeteris ad flatus prognoscendos maxime disposita atque apta esse, per experientiam satis abunde liquet. Tali qualitate praedita sunt omnia leguminum genera, fabae, pisa, lentes, oleracea, fructus horaei, farinacea, in primis non fermentata, pultacea, dulcia, potulenta non rite fermentata, corruptione infecta vel in eam abundantia, cibi omnis generis crudi, crassi, duri & concoctu difficiles. Plurima ex horum numero multum continere aëris, experimentis evictum est & confirmatum physicis, adeoque omnia, quae huius sunt indolis, non possunt non, si in ventriculo atque intestinis resolvuntur, multum aëris dimittere, qui has partes nimium extendendo molestias creat & *flatuum* nomine venit (§. I.). Quae vero non sunt huius generis, ea, in corpus humanum delata eiusque calori exposita, vel in fermentationem, vel putredinem abeunt, qua utraque mutatione quam ingens aëris copia e corporibus liberetur atque extricetur, ex principiis physicis & chemicis luculententer appareret.

### §. III.

*Experientiae, fidae rerum magistrae, testimonio,*

*Tympanitis extra intestina speciebus.* II

nio, quo nihil clarior, testatus atque illustrius est, confirmatum habemus, dari homines, quibus ea, quae ad flatulentorum classem referuntur, neque fatus, neque incommoda a flatibus prodeuntia, excitant, alias e contrario flatulentiae fere continuo esse obnoxios, quamvis ab usu omnium alimentorum, quae flatulenta habentur, abstineant, iisque omnia fere, quae assumunt, vel concoctu facillima, nec ad fatus producendos per se apta, inflationem concitare. Huius causam optimo iure, multis iisque gravissimis argumentis convictus, in ventriculi arque intestinorum debilitate & atonia consistere arbitror. Si enim haec partes naturali suo robore sunt destitutae, non possunt expandenti seu elasticae qualitatibus aeris, qui resolutione ingestorum liberatur (§. I.), debite resistere eumque propellere, sed ab eo iusto magis distenduntur, continuaeque hinc producuntur molestiae.

*§. IV.*

Si intestina spasmus occupat, tunc aeris progressus per illa & debitus exitus ex corpore impeditur; retinetur hinc atque accumulatur in intestinorum cavo eorumque extensionem efficit nimiam, variis sensationibus molestis stipatam, id est, flatus generantur in intestinis (§. I.). Praeterea intestina spastro detenta fortius premunt aerem in cavo suo contentum, qui vel cedit & pellitur in loca intestinorum debiliora, in quibus collectus atque accumulatus molestam producit extensionem; vel, si cedere non potest, vehementius reagit in intestina,

B 2

eaque

eaque iusto magis extendit, variaque sic, & interdum perquam sonica symptomata concitat.

## §. V.

Aëris vim elasticam a calore valde augeri, ex principiis constat physicis, atque idem aëri intestinis inclusio accidere debere a calore vel universaliter in toto corpore, vel particulariter circa intestina tantum praesente, quod inflammationibus familiare est, prona ac facili inde fluit consequentia. Hoc vero si fit, aëris in canali intestinalium contenti elasticitas aucta vehementer ac molestam horum cum variis symptomatibus coniunctam extensionem inducit, quae *flatulentia* vocatur.

## §. VI.

Quum hisce demonstratum dederim, ventriculi atque intestinalium debilitatem, & spasmos has partes affligentes, flatus producere (§. III. IV.), facile nunc apparet, quod, quicquid robur ventriculi atque intestinalium destruit, vel his in partibus spasmos excitat, flatuum generationi occasionem praebeat.

## §. VII.

Abdominis extensio a variis produci potest causis, ut a lympha extravasata atque in eius cavitate collecta, a graviditate, & ab aëre, estque illa vel transitoria, vel permanens, maior aut minor. Praeternaturalis abdominis ab aëre sub peritoneo haerente extensio non transitoria, sed constanter permanens, dicitur *Tympanites*, *Tympania*, *Hydrops*, *siccus*,

*siccus, Hydrops flatulentus, germanice die Wind-sucht, Trommelsucht.* Si magnum hic morbus adeptus est gradum, tunc abdomen instar tympani est expansum, illudque digito vel manu percussum tympani sonum edere Auctores fere omnes pathologici adserunt, indeque ratio denominationum istarum, quibus insignitus fuit hic morbus, insimul patet. CELSVS Lib. III. Cap. 21. de Medicina, eum ita describit, quod sit *tumor ventris vehementer intenti, cum crebro ex motu flatuum sono, insimul que memoratu dignum est, quod omnes ii, qui de hoc morbo speciatim egerunt eiusque symptoma descripterunt, referant, quod eundem praecedere soleant dolores circa umbilici & lumborum regionem.* Instar omnium prodeat modo, tanquam testis locupletissimus, HIPPOCRATES, qui Sect. IV. Aphor. XI. ita scribit: *Quibus tormenta adiungunt & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque a medicamento, nec aliter solvit, in tympanum sive hydropem siccum firmatur.*

§. VIII.

Quum ergo nunc luculenter declaraverim, quid nomine Tympanitis intelligi velim (§. VII.), ex usu utique erit, & ordinis ratio exigit, ut hanc ideam reddam clariorem, atque ex ea Tympanitis species eruam. Quum antea adseruerim, aërem in tympanite haerere sub peritonaeo (§. VII.), hoc non eo in sensu est accipendum, quod aër semper immediate sub peritonaeo inclusus subsistat, sed con-

tingit hoc vel mediate, dum in canali intestinorum, sub peritonaeo iacentium, inclusus est, vel immedia-  
te statim infra peritonaeum deprehenditur. Tres  
igitur inde enascuntur tympanitis species; una, in  
qua aér immediate sub peritonaco extra intestina  
est constitutus; altera, in qua aér sub peritonaco in  
canali intestinorum est contentus; & tertia, in qua  
utrumque occurrit, id est, aér tam in canali intesti-  
norum inclusus, quam extra intestina in abdominis  
cavitate deprehenditur. Porro tympanites est vel  
solus & idiopathicus, vel cum ascite complicatus, &  
in posteriori casu aér vel intra intestinorum cancel-  
los, vel extra illos in abdominis cavo haeret, vel  
utrumque simul locum occupat. Si extra intestina  
aér in tympanite cum ascite coniuncto est constitu-  
tus, eum simul cum lympha extravasata extra inte-  
stina in abdominis cavitate haerere, manifestum est.  
Nullius quoque negotii erit, tympanitem a flatu-  
lentia discernere. In hac etenim extensio abdomini-  
nis ab aëre non est stataria & permanens, sed transi-  
atoria, cuius contrarium in tympanite occurrit, ut-  
pote in quo extensio abdominis immutabilis manet,  
non remittit, sed potius increscit; ad hoc accedit,  
quod aér in flatulentia semper sit in canali intesti-  
norum inclusus, in tympanite vero non semper in  
intestinis, sed quandoque etiam extra ea haereat.  
Hoc vero facile accidere potest, ut flatulentia, si  
diu durat atque subsistit, in tympanitem tandem  
abeat.

§. IX.

§. IX.

Debilitas ventriculi atque intestinorum varios  
habet gradus, prout robur eorum naturale magis  
vel minus destructum est & labefactatum. *Debili-*  
*tatem vero utrorumque horum viscerum* occasionem  
praebere flatibus & flatulentiae, supra iam (§. III.)  
exposui. Si itaque ingens illa est & tanta, ut ad pa-  
ralyticam relaxationem proxime accedat, vel ab ea  
non multum recedat, fieri aliter nequit, quin ab  
aëre intestina & simul abdomen praeternaturaliter  
extendantur, atque in hac praeternaturali extensi-  
one detineantur per longum tempus, tamdiu nimi-  
rum, quamdiu haec perdurat debilitas. Cum eius-  
modi abdominis extensio constitutat Tympanitem  
(§. VII.), liquido hinc apparet, morbum hunc a  
summa ventriculi atque intestinorum *debilitate*, ad  
paralyticam relaxationem quam proxime acceden-  
te, vel actu paralytica, proficiisci posse. Ventricu-  
lus enim atque intestina, quae tanto roboris defe-  
ctu laborant, non gaudent amplius facultate illa na-  
turali se se contrahendi, aëris vi elasticae resistendi,  
cumque ex corpore expellendi; hinc utique una  
cum abdomine insignem in modum ut extendantur,  
&, quoniam vi se contrahendi sunt destituta, hoc in  
statu, qui Tympanitem constituit (§. VII.), per lon-  
gum tempus permaneant, necesse est. Ex cadave-  
rum hocce morbo demortuorum sectione quoque  
patet, ventriculum atque intestina, in primis autem  
crassa, mirum in modum fuisse expansa, & coecum  
atque colon saepius femur humanum quoad cir-  
cumfe-

cumferentiam aequasse. Conf. Ioann. ALLEN Synopsis universae medicinae practicae p. 300.

### §. X.

Alteram tympanitis caussam in *spasticis intestinorum stricturis*, varias eorum partes occupantibus, ponendam esse mihi persuadeo. Hae etenim, aëris per intestinorum canalem progressum atque e corpore exitum impedientes, eius retentionem atque collectionem intra intestinā producunt, quae, si spasmi non remittunt, sed permanent vel augentur, pertinacem abdominis extensionem, quam Tympanitem vocamus (§. VII.), efficiunt. Ad huius asserti illustrationem notatu digna illa WEPFERI experimenta, in egregio de *Cicuta aquatica* tractatu adducta, multum conferre arbitror, utpote qui ab arsenico, canibus ingeusto, gravissima tormina & spasticas ventriculi contractions, vehementesque eius distensiones flatulentas observavit. Idem quoque exinde satis manifesto adparet, dum in caderibus, a sumto veneno corrosivo, quod atroces excitando spasmos operari solet, demortuorum, totum intestinorum volumen, facta abdominis apertione, ob ingentem a flatibus factam expansionem, magnō plerumque cum impetu erumpit, ut vix in suum reduci possit locum. Similem quoque attentionem merentur ea, quae PLATERVS Observ. LIII. p. 616. de puerō tympanitico refert, in quo intestina tantopere distenta apparuerunt, ut femoris crassitatem variis in locis referre viderentur, atque, ex compressione

sione disrupta, stercus magno profunderent impe-  
tu; aliis autem locis adeo fuerunt convoluta, con-  
torta atque inflexa, ut nec excrementis, nec flatibus  
deorsum pateret via, & simili vermisbus oblongis  
quam plurimis repleta deprehendebantur, quod ea,  
quae hoc & praecedente §. asseruimus, novo argu-  
mento confirmat atque evincit.

§. XI.

Progredior nunc ad istud momentum, in quo  
potissimum nostrae tractationis cardo vertitur, & in  
quo explicando mirum in modum doctissimorum  
Virorum ingenia haec tenus desudarunt frustra. Ne-  
mo, quantum mihi quidem constat, qua ratione  
aer in abdominis cavitatem, sine intestinorum dis-  
ruptione vel erosione, pervenire possit, hactenus  
demonstravit, quin multi exquisitissimae eruditio-  
nis viri, huius rei ignorantia adducti, hanc tympa-  
nitis speciem, in qua aer haeret extra intestina ad-  
huc integra, in abdominis cavo, plane negarunt,  
vel saltem in dubium vocarunt. Periculum igitur  
mearum virium faciam in hoc, quod admirationem  
movet & disquisitione non indignum est, naturae  
phaenomeno enodando atque explicando. Clarius  
est, quam quod pluribus demonstrem argumentis,  
corporis humani humores aerem insimul continere,  
& ad putredinem maximopere esse proclives, in-  
primis si extra motum sunt constituti & calori ex-  
positi. Haec omnia de lympha in ascite in abdomi-  
nis cavitate extravasata atque collecta valere, nem-

C

nem

nem inficias iturum esse dubito. Facile igitur accidere potest, ut haec lympha, diuturna mora & stagnatione, in corruptionem & putredinem abeat, in primis, si iam iam ex aliis caussis praeternaturaliter est constituta atque ad eam inclinat. Hoc ergo posito, corruptione tali lymphaticarum partium cohaesio resolvitur & destruitur, eius partes coharentes separantur & in longe minores dividuntur, sique aër lymphae inhaerens extricatur & liberatur. Lympha, hac ratione resoluta & subtilior redita, vasculis resorbentibus adhaerere, & ex adhaesione in & per ea penetrare & sic resorberi potest; aër vero tanta vi, quanta lympha, adhaerere nequit, & si vel maxime adhaereant aëris particulae vasculis resorbentibus, a lymphaticis tamen particulis, eadem contingentibus & maiori vi praeditis, protruderentur & abigerentur, hinc penetrare in vascula resorbentia non possent. Aërem enim vasa corporis humani subtilissima, per quae sanguis facile penetrat, non intrare & permeare, tum ex eo, quoniam aër arteriis inflatus in paucis visceribus per venas redit, tum ex morte animalium, quae ab aëre vasis eorum inflato proficiscitur, liquido apparet. Lympham vero ex adhaesione in vascula resorbentia penetrare posse, patet ex aquae, quamcum lympha convenit, in vascula capillaria ingressu. Si igitur omnis lympha resorbetur, aër tantum remanet in abdominis cavo extra intestina; si vero pars tantum lymphae revehitur, aër simul cum lympha relinquitur, & sic orjuntur species tympanitis ex-

tra

*Tympanitis extra intestina speciebus.* 19

tra intestina haerentis, his integris, nec disruptis,  
nec erosis.

§. XII.

Tympanitis extra intestina occurrentis, cuius  
genesin a priori ex certis deduxi atque explicavi  
principiis, existentiam, exemplo notatu maxime di-  
gno, Vir inter praecipua saeculi nostri ornamenta  
referendus, Illustris HEISTERVS, in *Ephemer. Na-  
turae Curios. Cent. V. Obs. LXXXIV.* confirmavit &  
ab omnium reclamatione vindicavit. Cum adhuc,  
inquit Vir laudatus, nuper in consilio quodam esse  
cum aliis magnis Medicis, ubi de tympanitis sede age-  
retur, essentque qui eam non in cavo, sed in intesti-  
nis tantum confidere existimarent, utile esse credidi,  
observationem hic tradere, quae tympanitem quoque  
iuxta veterum mentem in cavo abdominis existere de-  
clarat, ut inde manifestum fiat, duplē posse esse  
tympanitis sēdem. Ego enim non nego, tympanitem  
quoque dari, ubi flatus tantum in cavo intestinorum  
haereant, quale exemplum quoque vidi; verum hoc  
ipso demonstrare volui, quod, iuxta Philosophorum  
prudens axioma, posito uno, non statim excludatur  
alterum, sed quod utrumque possit esse verum, eoque  
simil innuere, quod pro diversa sede alia quoque fa-  
nandi ratio obtineat. Exemplum autem, quod hic  
describere animus est, iam Amstelodami 1706. obser-  
vavi in muliere, quae se gravidam putavit & ventrem  
habebat valde distentum, sed ob varia graviora sym-  
ptomata Medicum Amstelodamensem, doctissimum

C 2

Dn.

Dn. D. Petrum Voogdium, Amicum quondam nostrum egregium, advocari iussit, qui praefantissima adhibuit remedia symptomatibus opposita; verum his non obstantibus post paucos dies mulier jubito interi-  
bat. In huius subitanee mortis causam cum inqui-  
rere intenderet laudatus Medicus, simul varios alios  
Medicos & Chirurgos rogavit, ut certas ob rationes  
sectioni interessent, inter quos etiam erat Illustris  
RUYSCHIVS, quem cum quibusdam aliis medicinae  
studiosis ad locum aperturae comitabar. Cum ita-  
que mulieris abdomen detegeretur, illud tumidum  
observabatur, ac in gravida partui vicina, & abdo-  
men pressum renitebatur. Aperto abdome, simulac  
exiguum vulnus peritonaeum perforaverat, magno  
cum sibilo sive strepitu ac foetore aliquali aer pro-  
rumpebat & abdomen subito concidebat, ac si mulier  
non esset grava; intestina prout alias in sanis se-  
babeant, attamen in utero foetus quoque reperi-  
ebatur quatuor circiter mensum. Iam prolixius in  
vias, per quas flatus in cavum penetrat, non inqui-  
ram, neque rationibus adversariorum huius opinio-  
nis refutandis tempus consumere volo; sed sufficiet  
iam, me exemplo hoc probasse, dari revera tales tym-  
panites, ubi flatus non in intestinis, sed extra intesti-  
na subsistant, & quod ad hos expellendos medicamen-  
ta flatus pellentia vix aliquid efficere queant, verum,  
quod forte acu paracentica, quam Galli trocar appellant,  
breviori & certiori methodo educi queant. Ha-  
cenus illustris HEISTERVS.

## §. XIII.

§. XIII.

Quamvis autem ex haec tenus allatis evidentissime adpareat, dari tympanitem, cuius sedes est extra intestina adhuc integra in abdominis cavo, nihilo minus tamen ille rarissime occurrit, id quod desetatis & raritas observationum, existentiam eius demonstrantium, clarissime evincit, ut eam ob causam multi hanc tympanitis speciem merito inter non-entia referandam, aut in dubium vocandam esse autumaverint. Nunquam vero haec tympanitis species intestinis integris oriri potest, nisi hydrops ascites sit coniunctus, ita, ut is vel praecedat, vel simul adsit. Aër enim, qui in hac tympanitis specie extra intestina in abdominis cavo haeret, ut in hoc vel ex intestinis, aut disruptis, aut erosis provenerit, vel ex lympha, in ascite in abdominis cavitate extravasata atque collecta, mediante resolutione liberatus fuerit, necesse est. Si igitur intestina supponuntur integra atque illaesa, ut posterius praesto sit, prona fluit consequentia. Hoc testimonio suo confirmat TRINCAVELLIUS, qui in *Traictatu de cognoscendis curandisque morbis Libr. VI. Sect. II. Cap. XII. p. m. 688.* expressis ait verbis: *Tympanias & ascites nunquam adeo separantur, ut altera species alterius sit expers: semper enim in ventre & aqua & ventus est, licet inaequali copia.*

§. XIV.

Non vero rarissima solum est tympanitis species extra intestina haerens cum horum integritate,

C 3 sed

sed simul etiam gravissima & periculosisima. Cum enim semper cum ascite sit complicatus (§. XIII.), hic vero iam per se sit morbus gravissimus, atque ut plurimum ingentem viscerum labem & maxime viciatam corporis humani constitutionem individuos habeat comites, ipsa asserti huius veritas exinde tanto manifestius eluescit. Maximum vero & praecipuum, quod gravitatem & periculum huius morbi demonstrat, argumentum suppeditat corruptio lymphae extravasatae & in abdominis cavo collectae, ex qua hic morbus oritur (§. XI.). Lympha enim in putridam vergens corruptionem, eandem labem partibus aliis corporis humani, tam fluidis, quam solidis, facillime potest communicare; & quis dubitat, statum corporis humani, ad talem corruptionem inclinantem, cum summo vitae periculo esse coniunctum & mortem facillime inducere? Lympha putredine infecta, resorptione ad massam sanguineam delata, hanc eodem contaminat vitio, similemque eidem inducit labem, ex qua febris putrida nascitur, vitae tandem imponens finem, ob plenariam mixtionis humorum destructiōnem, quam producit. Hinc ingenuo non minus, quam vere fatetur doctissimus PVERARIUS, se nullum unquam tympaniticum convalescentem vidisse; vid. Addit. ad Thom. BVRNETI Thesaur. med. præf. Libr. IIX. cui sententiae Illustris b.m. HOFFMANNVS suum quoque addit calculum, in Med. ration. systemat. Tom. IV. Part. IV. Cap. XV. §. XXI. his verbis: *Quando morbo chronicō, ut hydropi, iungitur vel*

*vel supervenit tympaniticus affectus, vix ullam admittit curationem, eo quod valida intestinorum ac musculorum abdominis distensio sanguinis per viscera progressum, vasa venosa comprimendo, valde difficilis imbecillioriisque reddit atque excretiones per alvum & sudorem magis sufflaminat. Tympanites simplex, si inveterascit, nec cito curatur in foeminis & infantibus, in molestissimum chronicum malum transfit & tandem ad interitum dicit.*

§. XV.

Alio praeterea, quam hactenus exposui, modo tympanites extra intestina in abdominis cavo oriri potest, si nimirum in iis, vel disruptione, vel erosione a vermis aut ulcere, praeternaturalis producitur apertura, per quam aer ex intestinis in abdominis cavum penetrare potest. Si intestina flatibus sunt repleta & distenta, facillime sub vehementi & violento corporis nixu eorum disruptio accidere potest; supervacaneum autem iudico tum hoc, tum erosionem intestinorum ab ulceribus & vermis factam, multis confirmare & illustrare observationibus, sed unum saltem alterumve brevibus adducere luet testimonium. Celeberrimus b. m. SCHAARSCHMIDTIVS notatu dignam allegat observationem \*), de viro robusto corporis habitu praedito & fluxu hepatico laborante. Quotidie alvus suo fungebatur officio, quo materia alba mucosa,

\*) Vid. eius Medicinische und Chirurgische Nachrichten dritter Jahrgang p. 299.

cosa, & interdum sanguis, excrenebatur. Somno & appetitu fruebatur satis bono, neque de dolore premente in hypochondrio dextro conquerebatur, flatibus vero gravissime vexabatur. In hoc statu permanebat per multos annos, multaque ac varia adhibuerat remedia. Post usum roborantium & tonicorum remediorum, praecipue vero millefolii, olei amygdalarum dulcium, infusi vinosi rhabarbarini & interpositi pulveris Ipecacuanhae, res equidem in melius, & morbus in salutem vergere videbatur, sed bona, quae apparebat, valetudo, nunquam diu in eodem persistebat statu, &, cum aliquando ad alvum deponendam magnum adhiberet nixum, ingentem in abdomine sonitum audiebat & statim in terram concidebat. Mortui ad instar deportabatur in lectum, nec etiam vita redibat. Anatomica corporis sectione instituta, omnia pectoris atque abdominis viscera deprehendebantur sana atque illaesa, excepto intestino colo, quod in quibusdam locis flatibus expansum, in aliis vero constrictum erat, una cum vasibus eiusdem sanguine distentis, itemque recto, quod non procul a fine suo erat disruptum, unde in cavitate pelvis excrementa, sanguis coagulatus & mucus sat larga deprehendebantur in copia. Alter vir, viribus & robore insigni praeditus, referente modo laudato Auctore, qui nunquam non firma usus fuit valetudine, saepius cum sociis suis, singulare robur suum ostensurus, ludicum corporis exercitium & certamen init; aliquando autem sub tali corporis nixu in terram prostra-

stratus fuit statimque vitam cum morte commutavit. Corpore aperto intestinum quoddam ruptum & vermis in abdominis cavo conspectui se se offerebant.

§. XVI.

Inflationi tympaniticae citra hydropem maxime foemininus sexus est obnoxius, in primis si post partum & durante puerperio abdomen non rite fasciis comprimitur & deligatur. Musculi enim abdominis, durante graviditate & partu nimium extensi atque elongati, si abdomen post partum fasciis non decenter constringitur, flaccidi manent & relaxati, hinc aeris, intestina expandentis, vi elasticae resistere nequeunt, unde abdomen permanet tumidum & extensum. Porro quoque tumorem talem abdominis grandiorum frequentius observare licet in infantibus & pueris, praesertim si vermis, aut ventriculi atque intestinorum atonia laborant, a qua cunque caula haec orta sit, sive a morbo magno praegresso, ut variolis & morbillis, vel ab addephagia, qua ventriculi atque intestinorum tonus maxime destruitur. In statu enim verminoso a vermis chylus consumitur, & massa sanguinea inquinamentis putridis depravatur, unde virium defectus oboritur & ventriculi intestinorumque robur debilitatur.

§. XVII.

Si bilis debita in copia in duodenum affluere nequit, vel eius mixtio minus legitime sit constituta,

D ta,

ta, exinde tumor nasci potest tympaniticus. His enim sub conditionibus chylificatio, quae sine debito adfluxu & legitima qualitate bilis decenter fieri nequit, quam maxime turbatur & impeditur, assumta non rite resolvuntur, sed in vappidam corruptionem abeunt, qua magna aëris copia liberatur, quae intestina & simul abdomen vehementer distendit. Demonstrat atque illustrat hoc singularis ac prorsus rara observatio, quae in *Transact. philos. Societ. Reg. Londinensis anno 1730. num. 414.* prostat. Acceperat nimirum miles vulnus, ex quo post varia symptomata septimo die mortuus est. In illius cadavere nulla penitus laesio ullius partis internae, excepta sola vesica fellea, inventa fuit, utpote quae in fundo leviter perforata ac ob effusionem bilis plenariam collapsa & fracta fuit deprehensa. Nullius visceris inflammatio vel levissima apparuit, canalis vero intestinalis valde inflatus atque expansus & colore flavo, a bile effusa abdomen inundante, tinctus fuit observatus, vulnus etiam externum siccum omnique tumore destitutum fuit, nec durante vita ullum inflammationis signum monstravit, ut merito mirari liceat, quo pacto ex vulnera adeo levi, ut illud adparebat, intra adeo breve temporis spatium, absque febre aliisque gravioribus symptomatibus, sauciatus interierit. Inter symptomata notatu digna, in hoc vulnerato observata, primo omnium referri meretur inflatio abdominis, quae statim ab accepta plaga oborta est, & talis sine notabili incremento & decremento permanxit: ac post

post mortem etiamnum adparuit, cuius intuitu homo hic asciticum vel tympaniticum referebat, nihilominus tamen, praesente hac canalis alimentorum distensione, inflationem abdominis producente, nec ruetum, nec flatum per superiora & inferiora reddere potuit. Quamvis etiam alimenta liquida ac potum sufficienti in quantitate adsumserit, alvus tamen officio suo per totum morbi decursum ne semel quidem satisfecit, nec fortissimis purgantibus ac clysteribus applicatis ullo plasto moveri potuit. Urinam paucam, flavam, & quasi croco tintam, omni sedimento destitutam, reddidit, nihil tamen caloris febrilis in toto eius corpore observare licuit, sicut nec pulsus citatior fuit, sed potius aequalis ac fortis usque ad vitae diem penultimum, quo inaequalis redditus est, duravit. Lingua etiam non dura, scabra aut nigra, qualis in febribus, praecipue inflammatoriis, quandoque conspicitur, arida tamen, ob defectum saliva, fuit. Licet quoque vulneratus hic per illud tempus parum & saltem aliquando per semi horulam dormitaverit, neque etiam opii usu ad somnum disponi potuerit, nullum tamen in illo vel minimum delirii indicium adparuit, atque sic iste absque ulla gravioribus symptomatibus, si singultum levemque vomendi conatum, pridie ante obitum accidentem, excipias, exspiravit. Hoc in casu a nulla alia causa, quam a totali bilis defectu, deducenda est ingens illa, quae vulnus exceptit, canalis alimentaris inflatio.

## §. XVIII.

Si alvus est obstructa minusque suo fungitur officio, excrementa & simul fatus retinentur; diutius autem retentae excrementa abeunt in putredinem, qua maior aëris copia ex iisdem liberatur, quae omnia non possunt non abdominis intumescientiam, immo, si pertinacior continuat alvi obstratio, tympanitem producere.

## §. XIX.

Tumor ventris in tympanite tantus esse non solet, quantus in ascite, ita tamen vehementer abdomen extenditur, ut digito percussum tympani instar sonum edat, exiguum vel nullam fluctuationem, sed leve sâtem murmur ac veluti rugitum exhibeat. Frequens ruetuum eliminandorum desiderium est, hisque prodeuntibus aeger aliquantulum levari videtur; si vero malum est inveteratum, ruetus, frequenter licet erumpentes, nullum adferunt levamen.

## §. XX.

Tympanitis curatio pro diversitate causae, a qua proficiuntur, diversa eriam ratione est instituenda. Si a spasio, intestina occupante, oritur, clysteres emollientes, relaxantes, antispasmodici & carminativi, ex floribus Chamomillae, summitatibus Millefolii, baccis Juniperi, & seminibus carminativis, addito oleo chamomillae cocto, vel lini, parati, egregiam praestant operam; notandum autem est, unum alterumve clysterem vix allevando malo-

malo sufficere, sed eorum usum crebrius esse repetendum. Si vero tympanites ab intestinorum atonia & debilitate suum trahit ortum, tunc eiusmodi clysteres plerumque plus damni, quam utilitatis adferunt; magis vero in hac tympanitis specie conducunt ea, quae facultate pollent tonum intestinorum imminutum ac debilitatum, utope primariam flatulentiae causam, rōborandi, cuius generis sunt Elixiria ex extractis amaris, ut Cascarillae, Rhabarbari, Centaurii minoris, Gentianae rubrae, Cardui benedicti, liquore terrae foliatae tartari, Tinctura tartari, effentia corticum aurantiorum & spiritu nitri dulci, item Mixturae ex effentia corticum aurantiorum, carminativa Wedelii, Zedoariae, spiritu nitri dulci, vel liquore minerali anodyno, debita in proportione mixtis, vel ex aquae Millefolii, Chamomillae, Zedoariae cum vino, carminativae Dorncrelli ana uncia una, spiritus Nitri dulcis drachma una & olei carvi puri guttis octo cum Sacchari drachmis duabus subactis. Nec negligenda sunt, in intestinorum atonia, remedia externa balsamica & rōborantia, ex oleo nucis Moschatae expresso, balsamo Peruviano, oleo carvi, anisi, cumini, chamomillae, vel ex partibus tribus aquae Reginae Hungariae cum parte una Balsami vitae Hoffmanni composta, quibus abdomen est inungendum.

§. XXI.

Omnia purgantia draistica in omni tympanitis specie sunt fugienda, quoniam eorumdem usum

D 3. semper

30 De rarissimis & gravissimis Tympanitis &c.

semper exacerbatio mali sequitur; multo vero maiorem noxam inferunt, si crebrius exhibentur. E contrario summo cum fructu adhiberi possunt & egregie prosint leniter laxantia, ut pilulae balsamicae ad mentem Stahlii vel Hoffmanni paratae, rhabarbarina cum Cremore Tartari, salia media amara cathartica, ut sal Sedlicense vel Anglicanum, praesertim vero si iisdem tonica & temperata carminativa & stomachica interponuntur. Probe autem in tali statu cavendum est ab omnibus carminativis calidioribus, aromaticis, sulphureis & volatilebus, ut oleis aethereis, carvi, cumini, iuniperi, & essentiis similibus, siquidem flatum elaterem & humorum orgasmum augendo, tumorem reddunt contumaciorem & maiorem, symptomataque longe graviora & periculosiora, immo non raro aestum praeter naturalem cum ingenti siti, anxiate & summa praecordiorum angustia excitant, febremque accendent acutam.

T A N T V M



VIRO

V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
SVMMORVM HONORVM MEDICORVM  
**CANDIDATO,**  
AMICO SVO OPTIMO,

S. P. D.

ABRAHAM GOTTLIEB TRALLES,  
MED. CANDID. OPPON.

HIRSCHBERGA-SILES.

**F**Dimodum laetor, adeo aptam mibi datam esse occasionem, TIBI, AMICE SVAVISSIME! meum erga TE animum publice significandi. Ipsa enim amicitia, quae seve per tres annos inter nos fuit coniunctissima, mibi demandat, ut non eorum postremus sim, quz TIBI summos in Medicina honores gratulantur. Confundis itaque cathedram, AMICE SVAVISSIME, ut pro indefessa TVA diligentia, quam in ediscendis veritatis medicis adhibuisti, praemia exposcas. Gratulor inde TIBI non solum de TVO specimine inaugurali admundum eruditore exarato, sed de honoribus etiam Doctoralibus in arte nostra salutari merito TIBI conferendis. Gratulor etiam patriae florentissimae, potissimumque adversa valetudine afflictis; de eruditissimo rationali Medico. Redi igitur in patriam doctrinis medicis optime instructus, proficisci ad TVOS feliciter bonisque auspiciis. Quod vero reliquum

reliquum est, precor, ut Summum Numen reliquis TVIS la-  
boribus benignissime adspiret & TE ulterius sospitem atque  
incolument praeset atque conservet. Vale denique optime,  
& me TIBI semper commendatissimum habeas velim.

PRAENOBILISSIMO,  
DOCTISSIMO ET ORNATISSIMO  
**DOMINO CANDIDATO**  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO  
S. P. D.  
GODOFREDVS FERDINAND. IAENSCH,  
MÉD. CAND.

**T**andem quoque hic TIEI dies pulcherrime illuxit,  
quo TÉ, amicorum OPTIME! egregios adsiduae  
TVAE diligentiae fructus, tanquam singulare ali-  
quod praemium, quod TIBI gloriae, PARENTI autem TWO  
HONORATISSIMO summae erit laetitiae, colligere video.  
Equidem non habeo, cur TIBI summum buncce, quem bo-  
dierna luce in arte salutari obtinebis, honorem invideam,  
siquidem TVVM nullo non tempore indefessum studium, abs-  
TE tam in hac eruditionis parte, quam in aliis quoque  
buic arête connexis scientiis, egregie collocatum, tanto  
TE satis dignum praemio reddidit. Verum id potius, ut  
amicis decet, meum esse existimo, tantae ut particeps  
fiam, quae TE manet, voluptatis, id quod ipsa postulat  
amicitia sic a nobis invicem semper culta, ut nihil in ea-  
dem

dem fictum, nihil fuerit simulatum. Beneficiorum illorum, quae tam longe liberaliterque in me, cœu singularis TVAE erga me benevolentiae præclarissima documenta, fudisti, mentionem hic facere, non opus esse arbitror, quippe qui nunquam pari TE modo remunerare valeo. Quare haec duntaxat gratissimi mei animi vota benigne accipere velis, AMICE SVAVISSIME, quae quidem eo spectant, ut quaevis TVA conamina in summi Numinis gloriam, multorumque hominum cedant utilitatem. Faxit Deus T. O. Maximus, ut per seros usque annos PATRI HONORATISSIMO in solatium, propinquis gaudium, TIBI IPSI honorem maximum vigeas, floreas fructusque feras uberrimos. Ad me tandem quod attinet, nihil est, quod abs TE maiorem in modum petam, quam ut TIBI me in posterum quoque habeas commendatissimum. Vale, & ut facis, mibi fave. Dabam Halae Magdeb. d. XII. April. MDCCLV.

---

Der Wahns, des Pöbels blinder Lehrer,  
Des Irrtums Grund, der Weisheit Störer,  
Beherrscht nur der Thoren Kunst,  
Den Weisen Wahrheit und Vernunft.  
Er forscht sich selbst, der Mann, der Weise,  
Ringt nach Verdiensten, die er sieht,  
Wird groß, daß ihn die Nachwelt preise,  
Die Nachwelt, der er sich bemüht.

E

Der



Der Thor, von Thaten weit entfernet,  
Der nicht die Ehre kennen lernet,  
Den Schlüssel zur Verewigung,  
Ist, ohne That, sich selbst genug.  
Er lebt, wie träumend, und sein Leben  
Macht er sich zeitig recht bequem;  
Kein gross, kein rümliches Bestreben  
Macht seinen Wunsch unangenehm.

In Kleinigkeiten sich zu mühen,  
Und Land dem edlern vorzuziehen,  
Uebt er recht emsig, bis zum Schweiß,  
Mit grösster Geduld und Fleiß.  
Geschäftig, ohne die Geschäfte,  
Zerstreut er sich in Eitelkeit,  
Und missbraucht seine Selenkräfte  
Verschwendisch, mit der besten Zeit.

Mein Adolph, den so Kunst als Wissen  
Dem Wahn des Pöbels längst entrissen,  
Den er nur, in sich selbst, verehrt,  
Und iener Thoren Zunft vermehrt;  
Empfießt Hygeens Ehrenkrone,  
Das Band, das Dich mit ihr vereint,  
Vor Fleiß und Wissenschaft zu Lohne,  
Deuch hin, beglückt, und sei mein Freund.

Johann Valentin Weigand,  
von Breslau aus Schlesien.

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO  
SVMMORVM IN ARTE SALVTARI HONORVM

## CANDIDATO

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

CAROLVS GVILIELMV SCHRECKFISCH,

WRATISLAVIA-SILESIUS,

XVRIVM CVLTOR.

**V**Incolum amicitiae nostrae, quod, AMICE SVAVIS-  
SIME! a prima nostra aetate arctissime nos con-  
iunxit, semper mibi gratissimum fuit. Vi huius  
iam in Gymnasio quam plurima amicitiae TVAE specimi-  
na quacunque occasione satis expertus fui. Ipsa per duos  
annos durante absentia, me, cum banc Fridericianam pete-  
rem, magna cum humanitate receperisti, & benevolentia  
TVA aestimatissima hic usque me dignari minime dubita-  
sti. Quum autem desiderium PATRIS TVI HONORATIS-  
SIMI domum TE revocet, atque TVORVM hactenus indefessorum  
studiorum praemia ambias, hocce meae amicitiae in-  
tegerrimae specimen TVA cum licentia addere non dubita-  
vi. Merito omnino eiusmodi praemia & exinde fluentia  
ambis iura, quibus studiis TVIS fere quadriennalibus, mete-  
ste, magis magisque dignorem TE reddere incubuisti. Gau-  
dia ergo atque vota, quae volo atque mente concipere pos-  
sum, hisce literis publice declarata benevole accipias, spero.  
Merito tecum gaudeo, atque summa animus meus sinceris-  
simus afficitur laetitia, cum TE in ipsis TVIS Natalibus  
speci-

specimen TVAE diligentiae magna cum laude publice de-  
fendentem atque summos in arte salutari honores capes-  
sentem aspicio. Gratulor ex intimis meis penetralibus  
TIBI, AMICE OPTIME! & TE, Patriam repetentem, profe-  
quor hisce precibus, ut vitam viresque TIBI in posterum  
largiatur summum, quod cuncta gubernat, Numen, atque  
TVIS conaminibus perpetuo adsit, ut Patriae etiam TVIS  
studiorum salutem publicam promovere, pariter ac in emolumen-  
tum artis salutaris ingenium ac eruditionem exercere queas.  
Hac ex parte babeo sane etiam, quod gratuler PATRI  
TVO HONORATISSIMO, qui ut iure meritoque senectutis  
fulcrum atque solatium in TE expectare potuit, ita non  
absque maxima animi voluptate TE in intima Hygeae  
sacra ingressum animadvertis. Quod superest, opto, ut  
benevolentia ac amore TVO, quo hactenus gaudere potui,  
absens etiam nunquam non me dignari velis, donec pa-  
triam petens, TE, AMICE SVAVISSIME! maxima cum  
voluptate iterum amplecti queam.

Vale.



Hilg. Med. 7055 1755-56

ULB Halle  
002 830 698

3



Sk

Ritual





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
RARISSIMIS ET GRAVISSIMIS  
TYMPANITIS  
EXTRA INTESTINA SPECIEBVS  
QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D. ANDREA ELIA BVCHNERO  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIMO MODO IMPETRANDIS,  
AD D. XIX. APRIL. A. S. R. CCCCCCLV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
GEORGIVS GVILIELMVS ADOLPH  
VRATISLAVIA - SILESIVS.  
HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.